



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De cohabitatione mulierum prohibita episcopis, presbyteris, & diaconis
propter caelibatum. Capvt IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI 325
De neophytis in fide non ordinandis ordine sacro antequam scientiam scripturæ sacre habeant : & de conuictis post ordinationem de peccato graui, cum ordinatore deponendis.

CAPVT III.

Qui recenter baptizatus est, & veritatem suæ fidei nescit, non erit episcopus, neque presbyter, neque diaconus, donec possit scire & intelligere libros sacros, & perfectum habitum, ac fructum spiritualement in corde suo producat; qui si ad maturam ætatem non peruenit, non potest ad gradus iam dictos admitti. Quod si episcopus aliquem cito * ordinauerit, in quo aliquod peccatum grauius postea reperiatur, & duo, aut tres testimonium dicant, vterque deponendus est, & ordinator, & ordinatus; quamuis ordinatus sit presbyter, aut episcopus; qui etiam a Synodo excommunicatur, vt meritus est.

Can. Nic. Græc. 2.

Leo epistola 85. Quid est cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorẽ tribuere non probatis?

De cohabitatione mulierum prohibita episcopis, presbyteris, & diaconis propter calibatam.

CAPVT IV.

Decernimus, vt episcopi non habitent cum mulieribus; neque presbyter, qui * viduus est; nec illas comitentur; neque familiarem consuetudinem cum eis habeant, nec in eas studiose aspiciant. Idem decernitur de omni sacerdote cælibe, idem que de diaconis, qui sine vxore sunt. Hoc autem intelligendum est, siue mulier pulcra sit, siue deformis, siue puella virgo, siue ancilla adolescens, aut natu grandis, siue puella orphana prætextu e-

Can. Nic. Græc. 3. Epitome huius ex Arabico Carthag. 3. c. 4. Græc. Carth. 2. c. 2. Lat. Apost. c. 26. Calched. c. 14. Cle. epif. 1. Conc. Elib. c. 33. Agath. 8. Toler. 3. c. 1. Hilar. in Syn. c. 2. Syr. ep. 1. c. 6. Innoc. epif. 3. c. 1.

Concil. Tom. 2.

Ii ij

Aurel. 4. c.
17. Aurel. 5.
c. 4. Tur. 2.
c. 20. An-
ti-
si. c. 20.
Leo epist.
70. & epist.
90. c. 3. Za-
char. epist. 6.

ducandi eam propter caritatem. Siquidem diabolus huiusmodi armis religiosos, episcopos, presbyteros & diaconos occidit, & immittit eis ardorem libidinis. Sin autem fuerit anus & prouectæ ætatis, aut mater, aut soror, aut amita, aut auia, licebit cum eis habitare, quia tales personæ alienæ sunt ab scandalo suspitionis.

* Non permittit hic Canon, ne quis erret, sic istos habitare cum vxoribus, cum ait, neque presbyter viduus, vt vxoribus vti liceat; imo concedit vt cum eis habitent, quia non licet eas prætextu religionis excludere, iuxta Canonem apostolorum 5. sic tamen habitare concedit, tamquam cum sororibus: vt, sicut Apostolus ait, qui habent vxores, sint tamquam non habentes. etenim si præter anus non suspectas propter ætatem prouectam, & præter matrem, sororem, amitam & auiam, non suspectas propter magnam cognationis propinquitatem, reliquas mulieres tamquam suspectas Canon excludit a contubernio clericorum sacri ordinis: ergo quas in contubernio relinquit Canon, liberas esse vult a suspitione; propter hanc enim causam, vt dixi, relinquit matrem, sororem, amitam & auiam: igitur propter eandem causam, sublata scilicet suspitionis, relinquit presbyteris & diaconis vxores. vt enim æquum est non suspicari propter vinculum propinquitatis naturalis, & propter mulieris senectutem; ita quoque æquum est non suspicari propter religionem ac reuerentiam ipsius ordinis sacri, nisi cum aut vita ipsa non est grauis & sancta, aut ætas vxoris periculosa. Denique comprehensum esse in his gradibus sacri ordinis calibatum, testis est epistola beati Basilii canonica ad Gregorium presbyterum de excludenda muliercula propter suspitionem, & includenda in monasterium: in qua epistola hunc Canonem Nicænum citat. fuisse autem vxorem, cum qua habitare prohibet, argumento est & quidem certissimo, quod eam iubet includere in monasterium, sicuti Canon quadragesimus octauus Synodi sextæ iubet, vt post ordinationem episcopi, vxor eius in monasterio collocetur. Denique contineri in hoc Canone Nicæno legem continentia sacri ordinis a propriis vxoribus, antiquissimum & grauissimum testimonium est Synodi secundæ Arelat. cap. 2. hæc enim Synodus illis temporibus Synodi Nicænae habita hunc Canonem renouans, ac magis explicans, si quis, inquit, de clericis a gradu diaconatus in solatio suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam suam vxorem habere præsumpserit, a comunione alienus habeatur. conuersam vocat, quia ex quo sacra ordinationi mariti consensit, carni renuntiauit, & ex vxore facta est soror, vt ipse ex marito frater, iuxta Canonem Concilii Tur.

ANNO
CHRISTI
325.

secundi. Quisquis est presbyter aut diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ pius frater illico efficiatur. itaque vterque iam pertinet ad titulum de conuers. coniug. iis vero qui existimant permisisse vnquam ecclesiam Romanam Græcis eam consuetudinem, quam hodie habent, contradicit Nicolaus primus, qui in responsis ad consulta Bulgarorum, cap. 70. distinct. 28. cap. consulendum: Consulendum, inquit, decernitis, vtrum presbyterum vxorem habentem debeatis sustentare & honorare, an a vobis proiicere: in quo respondemus, quoniam licet ipsi valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari conuenit, qui solem suum, (vt euangelium testatur) oriri facit super bonos & malos, &c. nemo cum ratione dubitare potest, quin illos presbyteros Græcos scilicet ob eam causam pontifex Nicolaus reprehensibiles dixerit, quod vxores haberent, non quasi non habentes, id est, haberent tamquam forores & conuersas, sed quod haberent eas tamquam vxores: habere enim presbyterum vxorem, id est, non eiicere eam prætenu religionis, apostolorum Canon iubet. Si ergo presbyteros illos Græcos habere vxores, vt hodie habent, reprehensibile pontifex Romanus & quidem eruditissimus, ac sanctissimus esse iudicauit, quomodo quod reprehensibile est, ab ecclesia Romana concedi dicendum est? restat ergo, vt quod hodie Græci faciunt, repugnante & reprehendente ecclesia Romana faciant, quod nunquam scilicet a probauit, nec vlllo tempore approbatura est.

De electione episcopi, & de approbatione electionis

CAPVT V.

Decernimus, vt nullius episcopi electio approbetur, nec vllus episcopus constituatur in ciuitate magna, nisi voluntate episcoporum prouinciæ, & nisi de fide eius & timore Dei inquirant. ad approbandum vero conuenire debent coram archiepiscopo aut patriarcha; aut si fuerit hoc difficile, quia non est archiepiscopus aut patriarcha, vel quia metuunt, ne lupi subditos rapiant, vel propter vrgentem necessitatem, vel propter longitudinem itineris, quamuis non sit præsens archiepiscopus vel patriarcha, sufficiat tunc vt sint tres episcopi ad constituendum eum, qui cognoscant ex absentibus per scripturam propriæ manus, esse in

Siricius e. pist. 4. ad episc. Africanos c. 2. Innoc. in epist. ad Victorium c. 1. Concil. Ant. c. 19. Can. Nic. Græc. 4.